



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Specvlvm Iuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphalorvm, 1615**

Ludouicus Episc. Tolosanus 19. Aug.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

VITA S. LVDOVICI EPISCOPI TOLO-  
sani ex diplomate Ioannis XXII. Pontificis.

19. Aug. Sur. Tom. 4.

**L**vdouicus eximius Christi confessor, cla-  
rissimo stemmate prognatus, patrem ha-  
buit Carolum Siciliae Regem, matrem vero  
Mariam Regis Hungarorum filiam. Genus sa-  
ne illustre; & quod alijs superbię fomitem ad-  
ministrare solet, hoc adolescenti huic præter  
communem naturæ modum admirandæ hu-  
militatis ac sanctitatis suppeditavit materiam.  
Hic à puero præter alias egregias virtutes sin-  
gulari castitatis laude excelluit, & senili ma-  
turityte posthabitis eius ætatis ineptijs, diuino  
se cultui & honestissimarum disciplinarum ex-  
ercitationibus mancipavit. Annos porro na-  
tus quatuordecim fastu humanæ gloriæ viri-  
liter calcato, mentem virtutibus excolere sa-  
tagebat. Id vero temporis Patris sui redimen-  
di causa obses cum duobus e suis fratribus fuit  
in Cataloniam ductus; cumque vnà cum alijs  
militari custodia teneretur, ipse seniores iu-  
nior præclare consolabatur. Atque vt animum  
magis magisque contra aduersos casus omnes  
roboraret, oblata in eo exilio opportunitate  
egregiam studijs operam nauavit: toto quippe  
septennio fratrum Minorum, quos indiuiduo-  
s exilij sui socios habebat, disciplinis erudi-  
endum se tradidit, ea dexteritate ingenij atque  
profectu, vt præter Theologicarum rerum  
insignem peritiam, pari eloquentiæ laude flo-  
reret,

*Castitas.  
Morum  
maturitas.  
Pietas.*



*Deuotio.*

reret. Solo vero pietatis & deuotionis studio ductus, horarias preces, iuxta ritum fratrum Minorum summa cum animi attentione persoluebat; extensisq; brachijs Dominicę passionis legebat officium, Vigilijs insuper, ieiunijs, asperitate vestium & alijs corporis afflictionibus rebelles carnis motus spiritui subdebat: Sacrum Missę officium præmissa sacramentali confessione magna deuotione audiebat: ac postremo diuino Eucharistię ferculo animũ frequenter pascebat. Cumq; expletis omnibus virtutum numeris, religiosę etiam vitę institutum fuisset complexus, post munus antistitis religiosissimè peractum, plurimis claris miraculis migravit è vita.

*Asperitate  
vita car-  
nē edomat.*

**N I V A R D I I V N I O R I S F R A T R I S S.**  
*Bernardi gnome in vita S. Bernardi 20. Aug.*

*Sur. Tom. 4.*

**A**Dmirabilis Dei gratia, quos de illustri familia B. Bernardi, piorum parentum votis sibi destinatos exceperat, eosdem omnes Christiana perfectione illustriores in Cisterciensi cænobio sibi, raro post homines natos exemplo, consecrauit. Adueniente igitur die, quo solenni iureiurãdo se perpetuę seruituti Christo deuouere statuerant, B. Bernardus, quinq; secum adducens fratres, è paternis ædibus prodibat. Cumq; Guido maior natu, fratrem iuniorem in platea puerum cum pueris lusitantem cerneret: Eia, inquit, Niuarde fra-  
ter,